



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 37. Conspiratio contra Fridericum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

electione per litteras edoctus Papa, dum 9 Junii respondebat, illi suum hac de re gaudium significabat, ut novum Regem ad susceptum consilium fortiter exequendum, ac Germaniæ Principes ad ejus defensionem animaret, suadens, spondensque, se omne auxilii genus laturum. Et vero magnas pecuniæ summas Henrico misit: quo comperto Fridericus occupandas curabat vias, hoc subsidium in rem suam versurus. Qui ejus partes sequebantur, Henricum Regem Sacerdotum vocabant. Papa etiam anathema contra Fridericum denuo promulgari, eique parentium terras interdicto affici jussit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1246.
Rayn. 1246.
n. 5. 6.

§. XXXVII.

Conspiratio contra Fridericum.

Papa non segnius in Sicilia ante Regis Henrici electionem rem gerebat. Duos illuc Cardinales ut Legatos misit nempe Stephanum Presbyterum tit. S. Mariæ trans Tiberim, & Rainerium Diaconum tit. S. Mariæ in Cosmedin: & ad omnes Præsules, Nobiles, populumque hujus Regni epistolam misit, in qua eos prorsus liberos declarat a servitute Friderici, quem novum Neronem vocat, & *approbante concilio* exauthoratum dicit, quamvis sententia sonet: *concilio præsentente*: ut jam notavimus. Hortatur, &

III. ep. 8. ap.
Rayn. n. II.

Hist. Eccles. Tom. XX. K k ad

Sæcul. XIII. ad impetrandam noxarum veniam præcipit, ut hujus hominis condemnati jugum excutiant, & sub ditionem Ecclesiæ Romanæ, cujus filii peculiari quadam ratione sint, sincere redeant, libertate integra, & fausta tranquillitate fruituri. Dabat 26 Apr. 1246.

Petr. Vm.

II. ep. 10.

Matth. Par.

p. 622.

Rayn. n. 14.

Sed jam antea hoc in Regno quædam contra Fridericum conspiratio facta erat, ut cernitur in epistola, quam ad Reges ac Principes ita scripsit: *Quidam e nostris servis in necem nostram conjuraverant, scilicet Theobaldus, Franciscus, & Jacobus de Morra, Pandolfus Fasanellius, Guilielmus a S. Severino, & alii. Sed aliqui complices conspirationem nobis detexerunt: & dum veritatem rei indagabamus, Pandolfus & Jacobus, qui nobiscum versabantur, se subducebant: Theobaldus & Guilielmus, cum essent in Regno, & nostræ mortis nuncium expectarent, duas ex arcibus nostris, Caput Aqueum & Scalin ex insidiis occupaverunt. Addit deinde, Scalin effereceptam, atque conjuratos e suis manibus elabi non posse. Indicat mandata pro securitate Italiæ a se edita. Tum ait: *Celaremus libenter conjurationis authorem, si publica vox, & factorum evidentia illum non proderet. Nam fontes fugerunt, obfidentur, comites habent Fratres Minores, a quibus tesseraria cruce induti sunt, & monstrantes Papæ epistolas libere dicunt, se**

Eccle-

Ecclesie Romanæ rationibus consulere. Qui Scali comprehensi fuerant, idem locuti sunt in confessione voluntaria, quam publice fecerunt ad moriendum parati. Episcopus Bambergensis Roma post venalem sui consecrationem rediens, antequam a servis nostris in Germania caperetur, etiam palam dixit, nos certo certius a domesticis nostris brevi de medio sublaturum iri. Episcopos tam atrox consilium posse capere nunquam putassemus. Nam hactenus (Deus scit) etiam post Lugdunense concilium nunquam consensimus in necem Papæ vel Cardinalium cuiquam afferendam, quamvis e servis nostris aliqui pro suo salutis nostræ studio id sæpe a nobis flagitaverint. Tueri nos sine vindicta contenti sumus. Dabat Salerni 25 Aprilis.

Sæcul. XIII.
A. C. 1246.

§. XXXVIII.

*Sultani Ægyptii ad Papam
epistola.*

Papa Innocentius scripsit etiam Sultano Ægyptio Melic-Saleh, ut Friderico ^{ap. Rayn. n. 52.} foedus renunciaret, persuasurus. Respondit ille hunc in modum: *Accepimus vestram epistolam, & Legatum vestrum ^{Matth. Par. p. 621. Alb. Stad. fol. 618.} audivimus. Locutus est nobis de Jesu Christo quem præ vobis & cognoscimus, & honoramus. Pacem, quam omnes inter populos conciliare cupitis, nos pariter optamus.*

K k 2 mus.